DE NOMA OBSERVATA QUAEDAM ET ANALECTA CRITICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILIELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
DIE XXIV. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXI
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

JOAN. HENR. GUIL. DE ASCHEN
BREMANUS.

OPPONENTIBUS:

C. GOTTSCHE, MED. ET CHIR. DRE.
A. MARGULIES, MED. ET CHIR. DRE.
H. SIMONSON, MED. ET CHIR. DRE.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

JATROCHIRURGO

AEVI SAGACISSIMO

DIEFFENBACHIO

MEDICO IN CARITATIS NOSOCOMIO DIRIGENTI
ETC. ETC.

EX IMO PECTORE

D. D. D.

DE ASCHEN.

Prolegomena perpauca eaque pagellarum volumini concinna tecum communico.

Tribus quidem mihi contigit vicibus, in Caritatis nosocomii valetudinariis, infantum aegrotantium medelae dicatis, nomes decursum methodosque dirioris notae huic morbo curandi, ambiguas licet ad unam fere omnes, observasse. Qua via deperditae particulae organismi organicis adminiculis restistuendae sint, singulari illa methodo, qua usus est Ill. Dieffenbachius, et nomes respectu palam fiet, — nostris vero observatis talia praemittamus, qualia ex omnibus hucusque circa nomen compertis, ut lectoribus congestim afferantur, haud indigna videbantur. Habebis itaque

I. loco critica quaedam analecta ex literariis historicisque depromta

et II. relationem decursus morbi nostri in puellis duabus observati.

Jam vero si ex altera parte facile conjicies, levioris quid fuisse, horum loco de nomes pathologia et therapia integrum accumulasse volumen, ex altera exiguum hunc nostrum pagellarum ambitum benevolo accipias animo.

Sectio prima.

Historia literaria critica.

Quoniam a vicinis magisque cognitis ad remotiora sensimque ad reconditissima progredi in disquisitionibus omnigenis longe plurimum naturae congruere tibi videbitur, non displicebit, optamus, si retrogradu passu annos 1830 — 1800 primo loco percurremus. Qui inter medicos nostri aevi cognoscendis et medendis infantum morbis tantam návavit operam cl. Billard 1) cum viris cl. Baron, Guersent, Jadelot, et prae ceteris cel. Isnard 2) stomatitidis, gangraenosae et naturam et differentias exposuere. Ex inflammatione eandem neutiquam derivandam esse censent, sed e peculiari quadam affectione, cui antecedere soleat intumescentia torpidioris naturae, praeter oris cavum pedes manusve ipsaque labia majora invadens. Pri-

---

1) C. Billard, die Krankheiten der Neugebornen und Säuglinge. A. L. Franz. Weimar 1828 — 29. Mit Atlas in 4. pag. 198 ff.

2) Isnard sur une affection gangréneuse, particulière aux enfans. Paris 1818. 4.

mus vero stomatitidis gradus tumore circumscripto oedematoso et superficie fere oleosa integumenti cutanei distinguitur. In medio isto tumore si punctum intense rubrum conspicis, de stomatitide nihil dubitandum habebis. Febris plerumque nulla.

Jamque vero in gradu morbi secundo punctus iste crusta, ad periphericas partes sensim sensimque progrediente, obtegitur. Membrana mucosa omnibusque partibus mollioribus sub odore nauseosissime decompositis, et sub forma materiae muciformis et sanguinolentae sponte effluentibus, periosteum denudatur. Morbum quidem contagiosum non esse cl. Billardio concedentes, neutiquam tamen e mera compressione, quam tumor iste a maxilla inferiore dentiumve alveolis perpatitur, gangraenosam nasci faciem, persuasum nobis est.

Ceteroquin externis potissimum remediis locus est e mente Billardii, qui antimonii butyrum ferrumque candens reliquis anteposuit. Qualia quidem ab omni parte mercurialiis praeponenda sunt, quibus anglus ille medicus The-Worthignon 1), morbum nostrum, quem gangraenopsin appellat, et cum gangraena oris, cheilocace cancrove oris familiarem esse dicit, curare vult. Contraria enim via, an-

---

1) in the Americ. medic. Record. Vol. XIII. pag. 293.

tiscorbuticis satius morbo mederi a cl. Gambini 1) edocti sumus. Nec mirum nobis videtur, virum cl. talia cum successu laeto exhibuisse, quum noma ex altera alteraque parte cum scorbuto conveniat. Neque tamen ausus essem cum cl. Chelio 2) contendisse, nomen nil esse nisi peculiarem morbi formam, sub qua scorbutus lateret. Quamquam vero medici germani externis observatis pathologiam locupletare solent, tamen de hoc morbo prae ceteris opuscula duo in patria nostra eminent, quae tanto studio nitent, ut ne eadem ruminemus de expositione morbi nostri nosologica, i. e. de ulteriore symptomatum turba, de diagnoseos periculo, de prognosticis conditionibus atque indicatis therapeuticis abstinere et de his omnibus ad praeclara ista scripta cl. Wiegandii 3) et Richteri 4) te convertere, hoc loco vero in historicis obambulare praestantius esse duxerimus.

---

1) Gambini in Omodei annali universali di medicina 1827 Vol.XLI. et Julius und Gersons Magazin der ausländisch. Literatur. April 1828. pag. 534—535.

2) Chelius Handbuch der Chirurgie. 2te Aufl. 2ten Bandes 2te Abtheil. pag. 575. §. 2082 Nota.

3) Der Wasserkrebs. Eine Monographie von Ignaz Wiegand. Erlangen 1830.

4) Ad. Leop. Richter. Der Wasserkrebs der Kinder. Berlin 1828. und: Rust und Casper kritisches Repertorium XXI (I) Bd. 2. Hft. pag. 202—210. und: Salzburg. med. chir. Zeitg. 1829. Bd. I. No. 4. pag. 58—63.

Consentiunt autem plurimi auctorum recentiorum, v. g. viri celeberrimi Thomson 1), Burns, Richter 2), Marshall-Hall, Dease, Pearson, ex parte Joerg 3), Hesse 4), Coates 5), Callisen 6), Dzondi 7), Cliet 8), Howship 9), Rust 10), Hebréard 11), Feiler 12),

---

1) E. Thompson in the London medical and physical Journal. New Series. Vol. II. Juni 1827.
2) Richter. l. c. pag. 39—52.
3) Joerg. Handbuch d. Kinderkrankh. Leipzig. 1826. pg. 705.
4) C. Gustav Hesse, Ueber die Erweichung der Gewebe u. Organe des menschl. Körpers. Leipzig 1827. p. 166—172.
5) North American med. and surg. Journal 1825. Vol. II. pag. 1—24; und: Neue Sammlung auserlesener Abhandl. für practische Aerzte. Leipzig 1828. Vol. XII. Stück I. pag. 76—115.
6) System d. neuern Chirurgie von A. C. P. Callisen. Nach der 4ten Auflage, aus d. Lat. übers. Copenhagen 1824. Vol. II. pag. 388.
7) Dzondi Lehrbuch d. Chirurgie. Halle 1824. pag. 359.
8) Compte-Rendu medico-chirurgicale des observations recueilliées dans la salle etc. Gersons und Julius Magazin. Bd. VIII. S. 545.
9) Howship. pract. Beobachtungen aus d. Wundarznei- und Kankheitszergliederungskunde. aus d. Engl. von J. E. F. Schultze. Halberstadt 1819. pag. 14 sqq.
10) Magazin der gesammten Heilkunde. Bd. I. pag. 337. Berlin 1816.
11) Hebréard in Diction. des sciences médic. Tom. XVII. pag. 325. Paris 1816; und: Mémoires et prix de la société de médicine de Paris 1817. pag. 1.
12) J. Feiler Paediatrik oder Anleitung zur Erkennung und Heilung der Kinderkrankh. Sulzbach 1814. Abschnitt III. Abtheil. 2.

Thomassen a Thuessink 13), Alard 14), aliique in eo, gangraenescentiam integumentorum mollium, interdum mandibulis communicatam, peculiari modo ortam, nomes naturam constituere, quam exactissimis observationum relationibus exarare et manifestare conantur. Iuvabit vero hoc loco commemorasse, morbum istum epidemicum, quem medicus cl. Montgarny anno MDCCCX. in Hispaniae campis apud copias franco-gallicas castrensem observavit, quemque sub nomine „fégarité" accuratius descriptum et prae ceteris quodad nosogeniam optime dilucidatum reperies in praestantissima historia morborum epidemicorum, a cl. Ozanam 1) nobiscum communicata; qua etiam in commentatione videbis gangraenescentiae faciem illam omnino prae se tulisse, laetissimo veruntamen successu antiscorbuticis debellatum fuisse. Haec quidem remedia ex acidorum et adstringentium grege palmam nacta sunt et ill. Boyer 2) maxime placent, qui morbum nostrum non immerito gangraenam scorbuticam dicit, quae acido muriatico diluto praesertim esset debellanda. Etiamsi vero complures observatores

---

1) Thomassen a Thuessink geneeskondig Magazyn. Deel III. St. 3. No. 13.

2) Alard, Journal de médec. Août 1812. pag. 354.

3) Ozanam histoire médicale des maladies épidémiques, contagieuses, et épizootiques. Vol. V. Paris 1821—25. Tom.

4) Boyer. Traité des maladies chirurgicales Tom. IX.

acido muriatico magnopere fident, quam fidem ex parte meretur, memorabilis ista curatio natro chlorinico instituta, cujus relationem clarissimo Rey 1) debemus, propter successum faustissimum omni attentione eo magis digna esse videtur, quo saepius omnia reliqua medicamina frustra exhibita esse constat. Si quidem et acidum pyrolignosum a viro cl. Osiander, Moore 2), Reimann 3), et potissimum ab ill. Klaatsch 4) saepissime adhibitum nequaquam tutius morbo nostro pertinacissimo mederetur, quem ill. Rust 5) usu externo acidi muriatici oxygenati, interno camphorae etc. cito vicit.

1800 — 1700.

Scrophulosam esse nomes naturam et in nostro quidem aevo quibusdam supponere placuit, sed in saeculo elapso vix von divulgata fuit opinio. Etiamsi vero nil facilius sit, quam enumeratio plurimarum observationum, quae nomes apud scruphulosos gene-

---

1) Rey in Revue médicale 4 ann. Tom. XI. Paris 1823. pag. 184.

2) S. W. Moore in the New-York Medical Repository of original Essays and Intelligence Vol. VII. No. 2. January 1822.

3) Zach. Reimann de noma cum histor. memorab. trismo ill. solut. Berol. 1824.

4) Klaatsch in Hufelands Journal der pract. Heilkunde. Vol. LVI. Berlin 1823. Heft I. pag. 100—118 et Heft I. pag. 45—63.

5) Rust l. l.

sin spontaneam potius quam e cachexia scrophulosa originem argumentantur, per se tamen patet, hoc loco τὸ „cum hoc, ergo propter hoc“ minime confundendum esse. Ceteroquin observatione morbi genuini satius manifestatur, nomae cum scrophulis nil familiare esse, quamquam dispositionem struere videntur scrophulae ad omnes quoscunque morbos, qui a fracta vegetatione proficiscuntur. Monendum vero est, jam ill. Lentinium 1) observatorem istum sagacissimum perbene distinguisse inter scrophulosam et gangraenosam labiorum genarumque affectionem. Eo magis miramur cl. Schaefferum 2) de scrophulis ut nomam ubicumque producentibus sermonem fecissse, quum tamen ante utrumque auctores viri ill. Girtanner 3), Daniel 4), Bernstein 5) Meza 6), Sauvages 7), Jourdain 8), Wepfer 9),

1) Lentin's Beiträge zur ausübenden Arzneiwissenschaft. 2te Ausgabe. Leipzig 1797. Vol. I. pag. 308—311.

2) Beschreibung und Heilung der gewöhnlichsten Kinderkrankh. von J. C. Theoph. Schaeffer. Ed. nov. pag. 420.

3) Girtanner Abhandlung über die Krankheiten der Kinder und über die physische Erziehung derselben. Berl. 1794. pag. 133—135.

4) Chr. Fr. Daniel Systema aegritudinum conditum per nosologiam. Vol. II. Hal. 1782. a. d. Lat. Weissenfels und Leipzig 1794. Vol. I. pag. 204.

5) T. Theoph. Bernstein pract. Handbuch f. Wundärzte und Geburtshelfer. Leipzig 1790. edit. V.

6) Meza in actis reg. soc. med. Hafniens. Vol. II. pag. 117. et: Sammlung auserlesener Abhandl. Vol. XIV. Fasc. 3. pag. 518—522.

Chopart et Desault 10), van Ringh 11), Olof Acrel 12), van Swieten 13), Lund 14), Nitsch 15), Huxham 16), plerique alii scorbuticam nomes indolem a scrophulosa (rarissime caussali, saepissime vero simultanea) segregassent. Neque defuere medici qui, quum antiscorbuticis variis morbum non raro insuperabilem esse observassent, nec haemorrhagias istas et deliquescentiam pulposam scorbuto familiares conspexissent, sphacelo subsimile quid e nomes decursu, phaenomenis, et disquisitione anatomica eruendum

---

7) Sauvages nosologia methodica II Vol. Amstelod. 1786. ed. Daniel. Tom. quinto. pag. 223.

8) Jourdain traité des maladies et des opérations réellement chirurgicales de la bouche. Tom II. pag. 380.

9) Wepfer Observ. med. pract. de affect. capit. int. et ext. Scaphusi 1727, Obs. 207. pag. 947.

10) Chopart et Desault traité des maladies chirurgicales et des opérations, qui leur conviennent. Vol. II. Paris 1779. a. d. Franz. Leipzig 1784. Vol. I. pag. 322—323.

11) Anton van Ringh de cancro scorbutico 1782. cf. Leiden. opuscula. phys. med. Lemgoviae 1797. Vol. II. p. 1—30.

12) Olof. Acrel chirurg. Verfälle in den königl. Lazarethen. Aus d. Schwed. von Murray. Götting. 1777. Bd. I. p. 192.

13) Gerhard van Swieten. Comment. in Boerhaave Aphorism. Tom. I. pag. 479. et 476; Tom. IV. pag. 470 (Edit. LB. 1742).

14) Gabriel Lund. Kongl. Vetenskaps Academiens Handlingar foer Ar. 1763. Vol. XXVI. pag. 36-44. Stockholm 1765.

15) Abraham Nitsch. theor. pract Abhandlg des Schaarboeks St. Petersburg 1747. §. 11 und 27.

16) Joannis Huxhami Opera physico-medica Vol. II. edid. Reichel. Lips. 1784. Vol. I. pag. 319 et 321.

putarent. Cui quidem sententiae hodie nondum adeo laudatae adnueres, nisi foetor iste gravissimus ac nauseosus impediret, qui ad scorbuticum propius accedit. Obstat ex altera parte, erodens ista progrediendi et depascendi ratio nomae potius quam scorbuto communis, morbum ab omni indole sphacelosa remotum contendere. Neque ergo tam facili negotio rejiciendi sunt medici veteres qui de noma sphacelosa et scorbutica segregatim fecere sermonem. Conferendae relationes observationum a viro cl. Seymonds 1), Capdeville 2), Bierchen 3), (qui haud inconcinnas distinctiones, sed remedium vix laudabile, spiritum sc. mercurii saturatum proposuit) Schneider 4), Pearson 5), Underwood 6), Brainemann 7) aliisque nobiscum communicatarum.

---

1) Seymonds in: medical observations and inquiries Vol. III pag. 178. London 1769.

2) Capdeville in: Mémoires de l'academie royale de Chirurgie. Tom V. pag. 193. — cf. Sammlung auserlesener Abhandl. f. pract. Aerzte. Vol. II. Fasc. 4. pag. 82—106. Leipz. 1783.

3) Abhandlung von d. wahren Kennzeichen d. Krebsschäden, wie auch der scrofulösen Geschwüre und Geschwülste a. d. Schwed. 1773. pag. 7 et 120.

4) L. E. Schneider chirurg. Gesch. mit theor. u. pract. Anmerk. 12 Theile. Chemnitz 1762—87. Vol. IX. pag. 95.

5) Pearson principles of surgery 1782. pag. 252.

6) Treatise on the diseases of children Vol. II. pag. 62. edit. 2. Lond. 1789—1790.

7) Verhandelingen van het bataafsch Genootschap der proefonder vinderlyke Weesbegeerte te Rotterdam. Deel I. pag. 582.

1700 — 600

Plurimi auctorum nostri aevi immerito Arnoldo de Boot 1) aut Carolo Rayer 2) primam nomes nosographiam tribuunt, quum tamen uterque observator manifeste de tumore labiorum scrophuloso loqueretur, anteaque Stalpartus van der Wiel 3) ctr. monuisset, admodum diversae notae ulcera scorbutica, carcinomatosa, scropuhulosa, sphacelosa etc. in labiis occurrere, imo de noma non pauca tradidisset. Valtherus 4) vero et Pechlinius 5), paucos tantum nec satius disjunctas circa nostrum morbum observationes enumerarunt, quem Blancardus 6) distincte descripsit et epidemicum viderat. Nec chemiatrum istum Joannem Muys nomes notitia fugerat; imo sat felices de ejus curatione observationes palam fecit, quamquam rem cum vicinis mor-

1) cf. Wiegard pag. 15.

2) Diss. medica de labri sulcis seu cheilocace auctore Carolo Rayer. Altdorf 1698.

3) Cornelius Stalpartus van der Wiel observationum rariorum medico anatomico-chirurgicarum Centur II. Observ. 13. in scholiis pag. 107—109. LB. 1786.

4) Dav. Chr. Valtherus diss. chir. med. de nomis, Erfordiae 1701.

5) Joh. Nic. Pechlin. Observ. medico-physic. libr. III. Hamb. 1691. Lib. I. obs. 67. pag. 176.

6) Steph. Blancard collectanea medico phys. of Hollands Jarregester der genees en naturkondige aanmerkingen van gansch Europa beginnende met het jaar 1680. Cent. II. 60. Cent. VII. 42—58.

bis non raro confundat 1). Praeferenda nobis ea videntur quae Cornelio van de Voorde 2) et Riverio 3) debemus, ut qui auctores non tantum de aetiologia et therapia (cui haec remedia: acidum sulphuricum, alumen et unguentum aegyptiacum non raro cum felicissimo successu responderant), sed de ipsa morbi natura et diagnosi admodum lucida proferunt. Mirandum itaque saeculum integrum post hos scriptores nomes et carcinomatis delineationem iterum iterumque esse confusam.

Primam vero nomes notitiam inter Germanos Senertus 4), et Fabricius Hildanus 5); inter Batavos Battus 6); inter Anglos Arnoldus de Boot 7); inter Italos Bartolomeo Maggi 8) et Joannes Ta-

---

7) cf. ej. prax. chir. rational. seu observ. chir. secundum solida verae philosophiae fundamenta. Dec. II. obs. 10. pag. 122.

2) Nieuws lichtende Fakkel der Chirurgie of Neden daagze Heelkonst. Middelburg 1680. Deel III. pag. 533.

3) Riverii praxis medica. Lib. VI. cap. 5. cf. ejusdem Opera medica universa. Francofurti ad Moenum 1630.

4) Daniel. Sennerti medicina practica. Viteb. 1630. Lib. II. pag. 62.

5) Fabr. Hildanus. Opera observationum et curationum med. chir. Francof. 1646. Cent. I. Obs. 30. pag. 28 et 773.

6) Battus Handboeck der Chirurgyen. Amsterdam 1620. pag. 315.

7) Arnoldus de Boot. Observ. med. de affectibus omissis. Lond. 1649. 12.

8) Maggi de vuln. sclopet. curat. Tiguri 1555, pag. 270.

gault 1), de hoc morbo, Arabibus medicis penitus incognito, dedisse videntur.

600 p. Chr. usque ad Hippocratem.

Paulus quidem Aegineta 2) de oris ulceribus pauca profert, quin tamen contenderes, nec eundem nec Alexandrum Trallianum nec Caelium Aurelianum de noma distinctius fusiusque tractasse. Claudius Galenus 3) veruntamen ubi „Quandoque tamen" inquit, „diuturnae fiunt ac aegrę solubiles et progressu temporis putredinosum quid acquirunt, quod a medicis nome, id est, ulcus depascens appellatur" nec paucis aliis locis 4) aperte de noma loqui videtur, nisi talia ad aphthas gangraenosas referre mavis. Qualis relatio saltem apud Aretaeum Cappadocem 5), ni fallimur, constitui decet, id quod, etsi cl. Wiegand 6) locum nomae adnumerandum habuerit, tamen sat perspicue ad tonsillarem affe-

1) Tagault de chirurgica institut. Venetiis 1549, Lib. III cap. 4. 15.

2) De re medica ed. per Joann. Guint. Andernacum. Colon. 1533. Lib. I. c. 10.

3) Claud. Galenus de comp. med. s. loc. Lib. VI. cap. 4. pag. 175. B.

4) Galenus l. l. Lib. IV. cap. 6. pag. 152. Lib. VII. c. 2. pg. 181 et Comp. med. per genera Lib. V. c. 11. pag. 251; c. 14. pag. 254. D. (Edit. Opp. Venetiis 1609 apud Juntas).

5) De causis et signis acutorum morborum, cura Alb. de Haller. Lausannae 1787. Lib. I. c. 9.

6) Wiegand l. l. pag. 3.

ctionem gangraenosam in scarlatina toties obviam, restringendum videtur, quorsum et ab ill. Mead 1), van Swieten 2) et medicorum juniorum apud Herbipolitanos doctissimo Fuchs 3) jure meritoque refertur. Eodem pertinet, ni fallor, locus iste Celsi 4), ubi de oris ulceribus haec profitetur: „Verum ea „longe periculosissima sunt ulcera, quas αφϑας „Graeci appellant; sed in pueris, hos enim saepe „consumunt; in viris et mulieribus etc. Haec ul„cera a gingiva incipiunt.“ — Hippocratem denique oris ulcera commemorasse constat, nec tamen nomes notitiam ab eo derivare licet, quum νομη apud eum nil nisi ulcus depascens designet.

---

7) Mead monita et praecepta medica pag. 52.

8) van Swieten. Commentat in Boerhaavii etc. §. 816.

9) Fuchs historische Untersuchungen über Angina maligna und ihr Verhältniss zu Scharlach und Croup. Würzburg. 1828. pag. 8.

10) A. Corn. Cels. de re medic. Lib. VIII. edid. A. de. Haller. Lausannae 1787. Lib. VI. c. q.

Sectio altera.

Observatio prima.

Guilielma Schulz, quatuor annos nata, debilioris quidem constitutionis et hoc anno elapso a febre tertiana intermittente, interdum pacificata, correpta, tertia post Calendas Februarias h. a. in Caritatis nosomium recepta fuit. Die abhinc vigesimo quarto novus paroxysmus infantulum conquassavit, algore caloreque insequente et spasmis coincidentibus stipatus. Medicus accessitus, qui istam affectionem e vermium irritamento derivandam putaverat et Cinae semen et Zinci oxydatum album nec non calomelanos sat largam quantitatem aegrotanti proposuit. E quibus tibi non mirum erit, salivationem fortiorem ortam esse. Dentes incisivi alveolarum relictis cavis loquelae balbutienti ansam praebuere et cum gingiva genarum superficies interna deliquescentiae obnoxia evenit. Medicus frustraneum consilium dedit, oris cavum camphoris et olei amygdalarum emulsione oblinire. Perbrevi enim punctus rubedine tinctus et ab angulo oris ad pollicis latitudinem remotus in superficie externa genae sinistrae quarto die post conspectus est moxque puris parva quantitas emanavit. Altero

post, nigricantem locus iste faciem induens, die tertio genae perforationem perfectam causavit. Simulac lingua et gingiva nigredine perfudebantur. Qua conditione puellula adeo graviter affecta in Caritatis nosocomium delata est, oculis quidem collapsis eorumque acie demta. Cutanea temperies multum imminuta fuit pulsusque vix ullus.

Quum de diagnosi dubium nullum, de prognosi autem metus non levis nosmet teneret, tam externa quam interna exhibebantur. Jam vero neque quae aceto pyrolignoso fomentationes instituebantur neque infusum radicis Valerianae, liquore ammonii succinici et spiritu sulphurico aethereo impraegnatum, effectum repentinum quidem habuere. Idem etenim continuavit aegrotae status, imo quidem iminutior adhuc cutanei integumenti temperies demumque deglutitio dfficillima. Etiamsi vero gena sinistra non tantopere consumeretur, in gena dextra tamen similis affectio locum sibi facere videbatur. Fractis inde viribus vitae, nocte insequente dira mors rei finem imposuit.

Cadaverls autopsia

nec in cavo thoraçis, nec in cerebri gyris, nec in abdominis organis ullam insigniorem abnormitatem docuit. Siquidem morbi atrium tantummodo in oris cavo positum ejusdem partes uno tramite affecerat. Omnia quidem nigredine sphacelosa tincta fuere, linguae dimidia pars anterior destructa et

cum dissectae fuerint partes adjacentes qualiacunque organisationis vestigia desiderabantur. Ex quo intelligimus, istos auctores errore obambulare, qui linguam a noma nunquam concepi opinantur. Et gingiva sinistri lateris locusque iste ejusdem genae colluvie consumpta fuere. Foraminis magnitudo pollicis apicem immittere concedit. Halo nigricans ad duos tresve pollices vicinia obsedit. Genae dextrae mucosa superficies interna eadem colluvie eademque nigredine affecta fuere.

Observatio altera.

Puellula sex annos nata Maria Schütte habitum prae se tulit scrophulosum, caeteroquin vero, si parentum dictis fidem feceris, ubera sanitate gavisa fuit, si a tineae quibusdam vestigiis discesseris. E nutrimenti pejoris indolis nimia quantitate non bene digesta mense Februario anni currentis morbose afficiebatur; jamque fere appetitus nullus, morositas aegrotae insignis et inquietudo continua. Cujuscunque diei horis matutinis febris exacerbatio horrore intensoque calore primum ad typum quemdam regularem, dumque irregularem locum habuit. Emeticum morbi initio propositum massam sanguini coagulato baud dissimilem per vomitum alvumque toto morbi decurso laxiorem, evacuit. Nauseosus vero foetor et gingivae prae ceteris dextri lateris tumor, quin remediis via pateret, animadvertebatur. Quibus quum decurrente

mense Martis corpusculum manifeste emaciatum atque debilitatum fuisset, frebriles exacerbationes vespertinis nocturnisque vigiliis habebantur. Tumor quidam oedematosus pedes moxque universum corpus circumdabat. Qualia quidem calomelanos largiore usu debellabantur; gingiva vero denuo affecta fortiorem fereque detestabilem foetorem sparsit. Genae simulac tumebant. Febris autem exacerbationes denuo sibi horas matutinas selegerant et marcore crescendo continuante et debilitate istaque diarrhoea. Altera septimana ante eam in qua aegrota Caritatis nosocomio committebatur, in dextra colli parte, sub angulo maxillae inferioris, abscessus frigidus, ovi columbinae magnitudine, ortus erat; atqui gingivae intumescentia in dextro latere imminuta, in sinistro, in quo gena lividam rubedinem prae se tulit, aucta fuit.

Jamque post exacerbationem fortiorem quandam in genae tumefactae ea regione, quae denti molari primo respondet, macula livida circumscripta, nigredine peculiari lividoque ejusdem halone insignis conspiciebatur.

Sub meridiem diei vigesimi m. J. locus ille affectus (maculae magnitudine mox multum aucta) pollicis dimidiae parti aequabatur. Sub vesperem diei vigesimi primi in Caritatis nosocomium delata, haecce quidem aegrota praebuit phaenomena:

Dummodo nostram adspexisses, multis eam cruciatibus vexatam fuisse intellexisses. Summa enim macies, summaque temperiei inaequalitas. Incaluit caput cum faciei dimidia parte affecta. Reliqui corporis calor imminutus, imo antibrachia manusque fere gelida.

Pulsus frequentissimus, contractus, duriusculus. Multa inquietudine et insigni anxietate infans vexata, dextro lateri incubuit, alte breveque inspiravit et tussi sicca commota, manum saepissime genae affectae admovit.

Abdominis quidem sensilitas non adeo abnormis, imus vero venter paullisper tumefactus; lingua pura humida. E dextro oris angulo saliva, odorem ingratum spargens, profluendo continuavit. Oculorum acies hebetata, palpebrae oculi dextri paullisper oedematosae. Sub angulo mandibulae dextrae pallida quaedam mollior caeteroquin, scilicet fluido repleta, intumescentia rotunda, ovi gallinacei magnitudinem referens, conspiciebatur. Gena sinistra tumefacta ad oculi regionem usque rubedine tincta comparuit.

Palpebrae venarum pelluciditate reticulatae.

Tumor in regione limbi alveolaris maxillae inferioris summus fuit et ad latitudinem pollicis dimidiam infra marginem orbitalem circumscriptus fereque lapideus. Fines ejusdem posteriores ante aurem positi non tam distincte digito exploranti ad-

paruere. Ad pollicem distabat ab angulo oris sinistro in regione dentis primi molaris mandibulae punctus quidam, rotundus, nigricans, non adeo magnus, sed collapsus potius. Halone vix rubente distinguebatur. Apertura media ad maxillam inferiorem periostei orbam penetravit, nec tumor ultra marginem mandibulae inferiorem latius protendebatur. Dissoluta fuit integumenti totius loci textura et cum tela cellulosa, nec non pinguedine in materiem stylo facillime eliminandam abierat. Conspicere licuit mandibulam nigricantem, periosteo et gingiva egenam, ad pollicis longitudinem. Stylus immissus tam has omnes partes, quam ipsam genae substantiam usque ad angulum mandibulae dissolutam esse argumentatus est. Verumtamen et lingua et totius cavi oris fundus normali textura gaudebant. Quae quidem tota apertura lintei mollioris frustulis calcariae chlorinicae solutione humectatis, a nobis repleta, utque foetor incarceretur, caute obtecta est. Paucis horis elapsis limbi alveolaris particula dentem molarem primum continens, majorque adhuc particula cum dente molari secundo, potuit removeri. Depravatio vero repente ad labia oculumque progressa cutanea integumenta et gingivam dissolvit. Facile itaque intelligitur, diram pessimamque fuisse aegrotantis conditionem. De nutrimentis e roborantium gente propositis, nihil consumsit; perpaucam quantitatem vini gene-

rosi rubri diluti quidem deglutiri valuit; neque tamen concedit, medicaminum, vires adjuvandi causa praescriptorum: — R. Corticis chinae regiae drachmas duas; florum arnicae drachmam unam, infunde ad colaturam unciarum quatuor; adde mixturae sulphurico acidae, extracti chinae frigide parati ana drachmam unam. M. S. omni hora cochlearium minorem — guttulam sibi immitti, tum nimirum, si clauso ore invito modo quidquam instillatum esset, per aperturam genae propelleret. Interdiu immobilis fere oculisque semiclausis, quin verbulum pronunciaret, dorso incubuit. Tussicula ista a periculo bibendi fasciasque ligandi aucta; sub vesperem noctemque potissimum aegrotam cruciavit. Aucta simulatque pulsuum frequentia manuumque gelu. Inquietudo aegrotae ejusque nisus continuus, fascias removere, ingratam nobis imposuit necessitatem, brachia laqueis lectulo adfigere.

Alvus laxa terque quaterve per diem involuntario modo secedit, unde enematum applicatio nobis quidem denegabatur. Tertia abhinc nocte somno aegrota aliquantum refecta multo quietior, primaque sequentis luce hilariorem se praebuit. Jamque loquendi periculum fecit et sat facile nutrimenta ac lubentius haecce cousumsit medicamina.

R.: Camphorae tritae grana tria; pulveris gummi mimosae, olei amygdalarum dulcium ana drachmas duas; sacchari albi unciam dimidiam;

aquae communis uncias duas. M. fiat emulsio — qualia quidem eodem die exhausit. At vero balneum, mensura integra spiritus frumenti remixtum, vim vitalem paullisper tantum restituit. Destructio vero jam ad oculum usque et ad angulum mandibulae labiaque progressus fecerat. Ubicunque remotis fasciis massa griseo viridis e dissoluta tela cellulosa et adiposa depromi potuit; ita ut omnia fere cutis residua, oris angulum et aperturam istam interjecta deliquescerent. Durities autem, quae ultra dimidiam labiorum partem se extenderat, altiores faciei particulas non adgressa est.

Sequentibus binis diebus affectio manifestius quidem non progressa, sed in labiorum regione exulcerationem detersit. Quam rem adeo faustam, ut irritamento partium affectarum fortiori faveremus, praeter fascias solutione calcariae chlorinicae impregnatas, totum ulceris circuitum omni hora acido muriatico diluto oblinebamus.

Verumtamen prognosis, tam propter vires vitales penitus fractas, quam ob auctum oedema et crescentem colli abcessum manifeste in pejus convertebatur. Jamque sequente durities genae sat perspicua et collapsus universalis sat manifestus erat; quamquam praeter emulsionem camphoratam fortiorem, chinae decoctum, cui elixirii acidi Halleri quidquam adjectum fuerat, sine incommodo consumebatur, omnisque diarrhoea pacificata fuisset.

Atat etiamsi nostra bene dormierat, die sequente tamen omnia respuit nutrimenta. — Moxque facies collapsa, tumor genae imminutus, et oedema dimidii faciei dextri plane evanuerat. Destructio ultra labiorum medium ad lineas nonnullas incrementum ceperat. Pulsus minor, frequentior; respiratio anxior stertorosa, aegrota exinde inquietior, sub vesperem vero specie paullisper refecta, a morte correpta est.

Autopsia cadaveris.

Dum genarum substantiam incideremus, massam e flavo griseam et in omni vicinio quatenus quidem durities se extenderat, conspicere nobis licuit; ita tamen, ut partes ulceri proximae intensius tinctae adparuerint. Tuberositas maxillae inferioris aspera nigridaque fuit et in hac re cum respondente maxilla inferiore convenit. Calor nigricans inde a lateribus usque ad mentum mandibulam perfudit; os zygomaticum bene valuit, nec palatum dissolutioni obnoxia fuere.

Colli abscessus insignem quantitatem puris flavescentis, nec tamen odorem ingratum spargentis continebat, in cujus fundo glandula submaxillaris indurata conspiciebatur. Paullo infra haec abscessus alter a musculo sternocleidomastoideo tectus, inter oesophagum et tracheam, locum sibi peterat.

Tum arctius disquireremus, abscessum istum cum sacco pleurae dextrae communicantem reperimus, unde empyema spontaneum ortum fuit. Pulmo dexter penitus mediastino anteriori admotus et tantopere compressus erat, ut vix longitudinem pollicis triplicem et latitudinem duplicem, crassitiem vero quartae pollicis particulae expleret. Vomicis quibusdam perforatus erat. Universae autem pleurae superficies lympha caseosa flocculenta obtecta fuit. Sinister vero pulmo cum pleura costali adhaesit et in lobulo superiori nonnullas vomicas minores recondidit. Reliqua intestina nullas prae se tulerant abnormitates, dummodo a glandulis meseraicis ex parte paullisper induratis, aliisque discesseris inferioris notae abnormitatibus.

Vitae curriculum.

Quem pie veneror, pater Joannes Henricus de Aschen, uxorem mihi matrem carissimam Carolinam, e gente Rhenana Scheidt oriundam, in matrimonium sibi duxit. Anno MDCCCVII Bremae natus et confessioni evangelicae reformatae adscriptus sum. — Absolutis tironum exercitationibus, mense Octobri anni MDCCCXXVII. ad almam Paulinam, quae Lipsiae floret, me converti hasque praelectiones frequentavi:

Encyclopaediam et methodologiam medicam; historiam naturalem in genere et zoologiam, rem herbariam atque mineralogiam in specie; physicen, chemiam, anatomen tam humani corporis, quam comparatam et pathologicam; physiologiam tam

foetus, quam adulti et quidem theoreticam nec non experimentalem; pathologiam generalem et specialem; atque institutiones therapeuticas, chirurgicas theoreticas scholasque clinicas.

Jamque quinto semestre absoluto, universitatem Fridericianam Guilielmam practicasque potissimum institutiones illustrissimorum medicorum Berolinensium adii. A quibus tam de arte obstetricia, theoretica et practica, nec non de morbis syphiliticis, de ophthalmiatria, de cognoscendis medendisque liberorum morbis, de administrationibus aciurgicis, in quibus omnibus nondum versatus eram, me edoctum esse grato animo recordor. In chirurgicis, pathologicis ac therapeuticis omnibus exercitationibus practicis me ulterius excultum scio. Summas itaque praeceptoribus, optime de me meritis, gratias non hoc loco tantum agam, sed eorum memoriam pio animo in aeternum tenebo.

Accipite ergo hasce venerationes gratesque meas viri doctissimi, celeberrimi, illustrissimi: Barez, Bartels, Bock, Braune, Carus, Çerutti, Clarus, Dieffenbach, Erdmann, Graefe, Haase, Juengken, Kleinert, Kluge, Kuehn, Kuhl, Rust, Walther, Weber — meque vestrae benevolentiae dignum habete!

Postquam denique ausus essem, examinibus philosophicis, tentamini et rigorosis accessisse, mihique contigisset ad adipiscendos summos in medicina et chirurgia honores appetere, spe laeta suspensus sum, fore ut talia tantaque mihi conferantur.

Theses defendendae.

1. Physiologiae ad organicam eadem quam physices ad anorganicam naturam relatio.
2. Medullae ossium usus apparet adhuc nullus.
3. Hepar in morbis psychicis maximi momenti.
4. Doloris faciei et ischiadis Cotunni summa affinitas.
5. In exanthematum acutorum sanatione febris sola respicienda.
6. Quamvis insanus saepe cum judicio agat, insania tamen criminis culpam tollit.
7. Dantur psychicorum morborum crises.
8. Pupillae artificialis per prolapsum formandae methodus ceteris praestat.
9. Extractio cataractae ceteris methodis praeferenda.



SOME TIGHT
GUTTERS